Radziwiłł Nicolaus.

Roysii Petri: Ad Nicolaum Radivilonem, virum illustrem Epithalamium.

5588

A
F

C
I
C
V

AD NICOLAVM RADIVILONEM VIRVM ILLVstrem, Epithalamium. Petro Roysio Maurco Hispano, extemporario Autore.

Coniugij Deus est autor: qui iungitur ullis
    Heu sine coniugijs, iungitur absq; Deo.
Iungitur absq; Deo: terræq; inuisus & astris,
    Absq; Deo uiuit: occidit absq; Deo.
Occidit absq; Deo: stygias sed mersus in vndas,
    Quas meruit, pœnas non dabit absq; Deo.
Vixerunt vlla nam qui sine lege, caduntq;:
    Illos castigat non sine lege Deus.

AD SIGISMVNDVM AVGVSTVM REGEM.

PRæsis coniugio quod, Rex Auguste, tuorum:
Elisabem iungit cum Radiuilo sibi.
Recte nempe facis: quod honoras fœdera lecti:
Vnde tibi miles, Dux sit & unde tibi.
Vnde hostes contra, tua miles castra secutus,
Dux tua, deuicto quærat in hoste decus.
Cum Moscum contra fers arma: Scythamq; fugacem:
Cumq; tibi bello Turca petendus erit.
Cum regnum proferre olim iuuat ense paternum:
Et Iagellonis digna nepote facis.
Signa tua, albentemq; aquilam dum longius infers:
Et visus septem portio parua trio est.
Quos nondum natos thalami Rex præses honoras:
Dextra illi reddant præmia digna tibi.
Et dicant olim, parto olim ex hoste trophæo,
Soluimus en grates, Rex Auguste, tibi.

2

AD NICOLAVM

RADIVILONEM VIRVM ILLVſtrem, Epithalamium, Petro Royzio Maureo Hiſpano, extemporario Autore.

ELiſabe, Radiuilo, tibi Sidlouia proles
Ducitur: ante omnes forma pulcherrima virgo
Sarmatides, maior laudat quas fama, puellas.
Antiquum clarumq; genus: domus inclyta ſi qua eſt
Sarmatico celebrata ſolo, famaq; ſuperba,
Hæc vna eſt: quæ monſtrat auos, gentemq; uetuſtam:
Inſignem factis, claram belloq; togaq;.
Inde tibi ſobolem quæras: ſoror altera magno
Tarnouio, ſcis, ducta uiro eſt: coniunxq; iugata,
Tarnouio bellis claro, quo milite ſæpe,
Quo duce victores redierunt ſæpe Poloni.
Hunc ſibi Chriſtophorus generum delegerat, omnes
Inter Sauromatas: omneſq; optauerat inter,
Ex hac ille domo, taliq; ex ſtirpe cupiuit.
Suſtulit & prolem: quã iam nunc educat altis
In Regum domibus: gaudetq; aſſueſcere Regno.
Iam tener, ætatem ſupra, quid ſanguine refert
Eſſe ſatum claro: patris puer æmulus arma
Cogitat: & tota meditatur prælia mente.
Mars cordi & bellona magis, quam culta Minerua eſt:
Non pacem ignauam, non ocia ſegnia curat.
Scilicet ut tanta ſtupefactus in indole Cæſar
Inclyta miretur decoris, uelut orſa futuri
In pueroq; ducem, primiſq; inſpectet in annis
Confirmata æuo, quid ſerior adferet ætas,

Sustulit & Sophiam thalamis Tharnouius ijsdem:
Insignem forma Sophiam, quæ nomine matrem,
Quæ facieq; refert, utrumq; ac ore parentem.
Parua, decem Brumas Hyemis quæ uidit aquosæ.
At multis iam optata uiris: quam quisq; iugare,
Quisq; suæ cupiat primorum adiungere genti.
Princeps Ioannes Munstembergensius ista
Christinam de gente tulit, thalamoq; locauit
Christophori cupidus post ultima fata parentis:
Tantum Christophori post funera fama parentis
Eualuit, nomenq; ingens: externus ut heros,
Ille Bôëmorum satus alto a sanguine Regum
Consortem optarit lecti: atq; in parte locarit
Magnarum fortunarum, & ditionis auitæ.
Hac Nicolae tibi Radiuilo ex stirpe propaga
Hæredem: quæ te referat: Lithuania te quem
Tanquam suspiciat: colat atq; ab Rege secundum.
Hymen dulce tibi, o Hymen, Radiuilo, canatur.
Sponsa uenit: promissa tibi pulcherrima uirgo:
Elisabe, exoptata tibi pulcherrima coniunx.
Nectite uincla pares: fœlices iungite dextras
Corda fide: Deus autor adest, delapsus olympo:
Cœlo delapsus coram est: qui fœdera firmat:
Qui uos perpetua facit una lege teneri.
Qui & iubet, esse duos unum: qui corq; animamq;
Infractis stringit uinclis: compageq; cæca
Effera quam nisi mors olim, luxq; ultima soluat.
Hymen dulce tibi, o Hymen, Radiuilo, canatur.
Rex Augustus adest Hymenæi testis, & almi
Coniugij: thalamos tanto dignatus honore:
Fœlices thalamos, pater & Sismundus adesset:

Ægra ualetudo lecto nisi figat: & æuum
Heu nimis inclinans, defectaqꝫ uiribus ætas.
Et Bona matronis centum comitata latinis
Hic aderas: aderas: Bona Regum sanguis Iberûm:
Sed Regis Regina tui te cura remordet:
Nec sinit ire domo, lætasqꝫ accedere tedas.
Hymen dulce tibi, o Hymen, Radiuilo, canatur.
Centum adsunt Regni proceres Radiuilo, tuum qui
Concelebrant hylares Hymenæum: festaqꝫ læta.
Læta iuuentus agit: totoqꝫ est pectore læta.
Talia coniugia, & tales celebrare Hymenæos
Quisqꝫ sibi, charisqꝫ suis. atqꝫ omnibus optat.
Hymen dulce tibi, o Hymen, Radiuilo, canatur.
Mille adsunt pulchræ magna de stirpe puellæ:
Ore rosas, niueo referentes lilia collo,
Quæ Veneri forma certent: & more, Dianæ.
Auro nexa comas distringunt gemmea serta:
Pallentes uiolas hæc, nigros illa corymbos,
Narcisumqꝫ imitata, & olentes suauia flores:
Omne genus. namqꝫ acris hyems niue contegit agros:
Constringit terrasqꝫ gelu, glacieqꝫ coercet.
Nec laxos aperire sinus sinit aspera Bruma
Ergo, nephas, flores mentitur gemma negatos:
Grande nephas, flammans nectit pro flore Pyropus
Temporaqꝫ frontemqꝫ aptans, crinemqꝫ fluentem.
Sardonyches & densus Onyx, mistiqꝫ Smaragdi
Hymen dulce tibi, o Hymen, Radiuilo, canatur.
Fœlices Thalami, fœlicia fœdera lecti
Sunto: rixarumqꝫ & amaræ nescia litis.
Quoduis: hoc coniunx uelit & tu feceris illud:
Quod cupit hæc: sociusqꝫ tori sis æquus amici:

Non dominus, namq; una caro, nam ſpiritus idem
Voce uir ac uxor diuina & legibus eſtis.
Quamuis imperiumq; uiro & tradantur habenæ:
Rector ut ille domus, & ceu palinurus in undis
Vela regat: puppimq; notis & fluctibus aptet.
Hymen dulce tibi, o Hymen, Radiuilo, canatur.
Ergo uiri coniunx non experiatur acerba
Imperia: indignaſq; minas, non triſtia uerba,
Corrigat errantem dictis non aſper amicis.
Illa uirum facilis, monituſq; exaudiat ultro:
Iuſſu aſſueta, uiriq; reſiſtere neſcia dictis.
Non contra: primæ factum crudele parentis
Nos monet: æua, malūm, ſtulto exaudita marito
Seq; uirumq; ſuum & mortales perdidit omnes.
Adiecitq; uiris canos, rugaſq; ſeniles:
Occaſumq; æui ſenium ſæua attulit, atq;
Immortale mori fecit genus: imaq; nobis
Tartara recluſit: cœloſq; & ſydera clauſit.
Hymen dulce tibi, o Hymen, Radiuilo, canatur.
Ecce uocat menſas uos Architriclinus ad altas:
Tympana pulſa ſonant: manibus dant aurea lymphas
Vaſa: dracoq; biceps gemino uomit ore liquores.
Perpetuis læti proceres accumbite menſis:
Exhylarate uiri multo conuiuio Baccho.
Hoc ſponſi cupiunt: hoc magnus poſtulat hoſpes
Tarnouius: menſa & curas procul eſſe moleſtas
Fronte petit læta: procul ergo pellite curas.
Hymen dulce tibi, o Hymen, Radiuilo, canatur.
Sarmatici proceres, & tu quoq; Sarmata pubes
Concordes optate toros: & litis iniquæ
Expertes, pax perpes eat: ſint iurgia nunquam.

Addite Titoniq; æuum, Piliamq; senectam :
Viuat uterq; diu coniunx: petat æthera sero
Et multa sobole Lithuanas repleat arces.
Hæc interq; dapes, hæc inter poscite uina.
Hymen dulce tibi, o Hymen, Radiuilo, canatur.
Indultum satis est mensis : age læta iuuentus
Surge toris: pulchrasq; manu de more puellas
Corripe : correptasq; exerce, atq; orbibus orbes
Expedias : celeriq; gradu sola læuia pulsa :
Lætaq; concelebra choreis connubia lætis.
Hymen dulce tibi, o Hymen, Radiuilo, canatur.
Fistula concinuit : dulci & symphonia cantu
Concordes inflata sonos dedit : oreq; toto
Completur tuba : saltantes ac excitat ultro.
Hymen dulce tibi, o Hymen, Radiuilo, canatur.
Surge iterum ; rursusq; tuam cape quisq; puellam :
Delassaq; choro : nunc hac, nunc impiger illac.
Pulchrior hæc : culta illa magis : magis illa decora.
Hæc quærenda tibi : magis hæc, magis illa petenda.
Hymen dulce tibi, o Hymen, Radiuilo, canatur.
Parcite iam satis est, iuuenes ; iam multa ruit nox
Oceano : referuntq; graues iam sydera somnos,
Ad thalamos Iuno uocat, & lucina iugales.
Fœcundos o mox thalamos, & prole beatos :
Prole, genus referat qua stirps Lithuana Polonum ;
Illustresq; domo mixtos heroas utraq;
Mittat : & ingenti contingat sydera fama
Mista domus : multos olim mansura per annos.

AD EVNDEM.

Classicum, Radiuilo, iam sat: O sat
Hactenus cecinisse, sat tuosque
Inflaris lituos: & ore toto
In prædam canis hactenus cupitam.
Venit Elisabe in manum iugata
Intrat in thalamos tuos marita.
Iam cantus, Radiuilo, iam modique
Mutandi tibi sunt: repente (præda est
Postque capta) receptui canendum est.

DE ILLVSTRIS VIRI CHRIstophori Sidlouij filiabus.

Tarnouius Sophiam, Munstembergensius heros
Christinam, Elisabem tu, Radiuilo capis.
Christophori ne homines tantummodo pignora tollant:
Inuidit, quartam & Christus in astra tulit.